



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

Pars 1. de quidditate Meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

## P A R S I.

*De Quidditate Meditationis.*

**E**Am, Intellectus discursum circa res pias ad movendam voluntatem ad bonum, scribunt Ascetici Doctores: quâ definitione totam ejus naturam proponunt eâ etiam complexi quadruplicem ejusdem causam; Materialem, quæ sunt res piæ & omne id quod natum est animam ad virtutes incitare atque à peccato & vitiis revocare: Formalem, quæ discursus est sive atenta & cunctabunda consideratio, non improvisa & momentanea ut Cogitatio: Efficientem, quæ intellectus est non se solo, sed divinæ gratiæ lumine illustratus: Finale denique, quæ est motus voluntatis ad mali odium, Dei amorem & virtutis exercitium: hæc omnia brevi sententiâ complexus est Psaltes: *Lex tua meditatio mea est* addito D. Ps. 118: Augustini Commentario: *hæc meditatio amantis est cogitatio*. Ea namque voluntatis ab intellectu est dependentia, ut nihil volitum sit nisi cognitum, ideoque voluntas potentia cæca nuncupatur, quod non videat nisi illustrata & docta ab intellectu, licet ei liberum semper maneat sequi ductum intellectus vel non, & ad sequelam citra ullam tamen coactionem inducatur efficacibus motivis, quæ in Meditatione excogitantur.

Ut autem discat, si quæ rudis etiamnum est, quomodo instituat Meditatio, sciendum quatuor puncta observanda.

**PRIMUM** est, ut meditatura tibi in mentem

G 5

revoceſ

revoces seriam & attentam divinæ præsentia cogitationem, idque five eliciendo actum fidei circa omnipræsentiam Dei cœlum terramque sua immensitate replentis, five ipsummet Deum per eandem fidem apprehendendo, non modò ut localiter præsentem, sed etiam ut intimè nobis ipsis inexistentem nosq; divinitatis suæ præsentia vivificantem, juxta illud Apo-

*Act. 17:* *stoli: In ipso vivimus, movemur & sumus, unde &*  
*28.* *David illum nuncupat Deum cordis sui. Sive etiam*  
*Pf. 72:26.* *considerando Christum Dominum secundum hu-*  
*manitatem suam è summis cœlorum in nos prospe-*  
*Act. 7:55.* *ctantem, sicut illum vidit Protomartyr Stephanus,*  
*Cant. 2:9.* *& de eodem mystica sponsa loquens, En ipse stat, in-*  
*quit, post parietem, respiciens per fenestras prospiciens*  
*per cancellos. Sive denique ipsummet Christum se-*  
*cundum eandem humanitatem nobis astantem pro-*  
*ponendo, aut sub sanctissimi Sacramenti speciebus,*  
*si hoc adfit, realiter præsentem adorando: ut ex Sa-*  
*Part. 2.* *lesio in Sacerdote Christiano tradit Abellius.*  
*c. 4.*

SECUNDUM est, ut cum omni humilitate ad pedes ejus abjecta gratiam postules, quæ tuum intellectum illuminet voluntatemque inflammet, quatenus è subsequuta Meditatione melior evadas: *Da*  
*Pf. 118:* *mibi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custo-*  
*34.* *diam illam in toto corde meo.*

TERTIUM est propositæ materiæ consideratio, quam, tanquam à Deo tibi traderetur revidenda, acceptabis, ut reminiscaris quid feceris, & quid tibi faciendum fuerit, videas: si à præscripto vitam tuam discordem deprehendas, tunc ad voluntatem progrediendum, eique proponendum quid actum fuerit, & quid agendum fuisset, eamque acriùs commovebis,

movebis, ut statuatur aliam viam ingredi cum actibus doloris, admirationis, &c. Excogitabisque rationes conformandi te præscripto vel à Deo tibi suggeri postulabis, quæ, si occasio sic ferat, eodem die executioni mandabis cum Zachæo: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* *Luc. 19: v. 8.*

QUARTUM denique est, ut pro accepta instructione gratias agas, & divinæ gratiæ subsidia flagites, quò eam operi mancipes, ubi & Deiparæ ac patronorum tuorum suffragia expeti poterunt.

Ex quibus nunc manifestum est, cur SS. Chrysostomo, Irenæo & Augustino Oratio dicta sit colloquium animæ cum Deo: cur S. Damasceno ascensus spiritus nostri ad Deum: cur denique Hugoni Victorino piæ mentis & humilis ad Deum conversio fide spe & charitate subnixæ. *Fide* quidem, nisi enim spiritualem tuam inopiam & egestatem sentias atque agnoscas, fervida esse non poteris: læsus, nisi vulnera noscat, Medicum non quærit: vinctus, nisi talem fenorit, liberatorem non suspirabit: pauper, nisi inopiâ torqueatur, ditiorum aures non fatigabit: *Fide*, meditatione hauriendus tibi hic sensus. *Spe* verò, id est, fiduciâ, non deneganda quæ quæris & petis, *revela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet,* *Pf. 36: 5.* monet Psalmista, est namque pater tuus, quem daturum pollicetur Christus Dominus *bona & spiritum bonum petentibus se.* *Charitate* denique quò Deo gratior in ejusque famulatu ferventior existas: hic tuus debet esse scopus, aliàs non meditabundam sed phantasticam ages: *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei & in mandatis illius maximè assiduus esto,* inquit *Eccle-*

*Luc. 11: 13.*

*c. 6: 37.*

L. 6. de  
Amore  
Dei c. 2.

Ecclesiasticus, & ipse dabit tibi cor peccati odio ac charitatis ardore inflammatum & concupiscentia sapientiae dabitur tibi. Ideoque non incongruè D. Franciscus Salesius Animam meditabundam Api comparat: „Apis (inquiens interprete Lamormainio,) vernali tempore pergit huc & illuc volitando super flores & hoc non fortuitò sed ex instituto, non ad recreandum se solummodò visu variorum & jucundorum florum, quibus prata passim sunt redimita, sed ad investigandum & colligendum mel: quod cum invenerit, fugit, eoque se onerat, deinde delatum ad suum alveare artificiosè disponit, & accommodat separans ab eo ceram, ex illa faciens favos ad reponendum & servandum mel pro insequente hyeme. Porrò talis est anima devota in meditatione: pergit ille ex uno mysterio in aliud non tumultuariè, neque solùm ad relaxandum & recreandum animum visu admirabilis pulchritudinis divinorum objectorum, sed ex proposito & causâ inveniendorum motivorum amoris vel allicujus divinæ affectionis, quæ, cum invenerit, ad se trahit, degustat seque iis onerat, & cum rede- rit ac collocarit in corde suo, in partem reponit quicquid proprium advertit suo profectui promovendo, tandem facit conformia decreta & proposita, quæ tempore tentationis sint profutura.

## P A R S I I.

*De Prærequisitis ad Meditationem.*

**H**Æc ad numerum ternarium constringo, quorum